

XIII. Nicolaus I. Pontifex in responsione ad quæsitum 95. inter ea, quæ ipsi à Bulgaris proposita fuerunt, Ecclesiæ Romanæ disciplinam, tunc temporis vigentem, populis illis recensens ad Fidem conversis exponens quemadmodum videre est *tom. 8. Collectionis Conciliorum Labbei impressionis Parisiensis col. 546.* ita rescripsit: *Quod de his agendum decernimus, qui pro quibuscumque culpis ad Ecclesiam fugiunt, requisitis; sed quamvis eorum sacri canones, quæ leges mundanæ sanciant, custodienda flagitent, & leges circa quosdam immisericordes appareant; Nos tamen, qui non spiritum huius mundi suscepimus, si quispiam ad Ecclesiam, fugerit, non illum, nisi sua voluerit, sponte, ab ea dicimus educendum. Denique, si quondam latrones diversorum criminum rei ad asylum templum Romuli fugientes, indemnitate consequantur; quanto potius hi, qui ad templum Christi confugium faciunt, delictorum remissionem suorum adipisci debent, & jam sibi à suscepto juramento præstito, omnino pristinae securitati restitui? At cum, procedentibus temporibus deprehensum fuerit, ex eo systemate sapienter pieque constituto, ut scilicet per indefinitum asyli jus debitum Dei domibus honor & reverentia conciliaretur, non tam optatum intentumque effectum obtineri, quam reis improbisque hominibus ansam præberi, ut facilius in deteriora quæque prolaberentur; satius visum est graviora aliqua crimina excipere, quorum rei, si ad Ecclesiam confugissent, asyli jure nequaquam gauderent; quemadmodum videre est in *Can. Sicut antiquitus, 17. quæst. 4. cap. Immunitatem, de immunit. Ecclesiar. cap. Pro humani, de homicidio, in 6.* Et quia nec id satis erat*

ad compescendos improborum excessus, aliam inivere rationem Romani Pontifices, concedendi nimirum nonnulla indulta, quibus tribuebatur facultas extrahendi ab Ecclesia reos graviorum criminum, quamvis hæc inter excepta à Jure non recenserentur. Sed cum ex hujusmodi litterarum concessionibus innumeræ perturbationes, & querelæ sæpè orirentur, prælaudatus Pontifex Gregorius XIV. suam evulgavit Constitutionem, quæ est *septima tom. 2. Bullarii Romani*, in qua plures casus recensuit ac definiit, in quibus delinquentes Ecclesiastica immunitate nullatenus juvari deberent; hoc tamen districtè cavendo, ne ipsius Constitutionis lex ad alios casus, licet æqua, vel etiam potior ratio urgere videretur, extendi, aut ampliari posset. Et sanè quilibet persuadere sibi jure poterat, per Gregorianam Constitutionem sublatas penitus fore controversias omnes. Verùm longè aliter sese res habuit. Cum enim hominum improbitas in dies creverit, adauctisque fuerit numerus reorum quorundam criminum, quæ quamvis non expressa in Gregorianis litteris, per se tamen gravissima, & reipublicæ exitiosa dignoscebantur, seculares autem Principes opportunas instantias ad Sanctam Sedem, uti par erat, detulerint; hinc fel. rec. Prædecessor noster Benedictus Papa XIII. sedulo præhabito examine suam evulgavit Constitutionem, cui initium *Ex quo Divina*, qua non solum è medio sustulit plures controversias ab Auctoribus excitate, ut frustraneam redderent casuum exceptionem à Gregorio factam, sed alios etiam superaddidit casus, quibus in posterum Ecclesiasticæ immunitatis beneficium delinquentibus minime suffragari deberet. Nos latè omnia exposuimus in *nostra Institut. 41.* inter impressas Latino idiomate, ubi insuper

per recensere non prætermisimus amplioris providentias à recol. mem. Decessore nostro Clemente XII. captas; cuius vestigiis Nos ipsi insistere non negleximus, ex quo nullis nostris meritis, eidem in B. Petri Cathedra subrogati fuimus.

XIV. Quibus omnibus ita peractis, cum nemo contenderit, detractum quidquam honori Gregorianæ Bullæ, aut imminutum fuisse obsequium sacrosanctis Ecclesiis præstandum, & cultum Omnipotenti Deo debitum; multò minùs affirmari poterit, contemptam fuisse Bullam Urbani VIII. aut imminutum fuisse Divinum cultum; propterea quod Nos ipsi commoti publicis & manifestis criminibus, quibus festi dies profanabantur, nec ignorantes, his ipsis diebus pro Ecclesiis cauponas frequentari, adhærendum Nobis esse duximus prudentibus consiliis, atque iteratis precibus Episcoporum, nec negligendos ploratus pauperum, qui ex opificio aliquo sibi victum quærant; ideoque propositum systema amplexi sumus, atque diversis in locis stabilimus, ut scilicet omnibus Dominicis, aliisque solemnioribus diebus festis, non solum Missa audiat, sed etiam abstinere ab operibus servilibus; reliquis verò diebus festis non adeo solemnibus, audito Sacro, liceat pauperibus ad sua quemque officia divertere.

XV. Quæsierunt Bulgari à Nicolao I. Pontifice, quibusdam festis diebus à servilibus, operibus abstinere deberent. Pontifex autem in responsione ad quæsitum 11. hujusmodi dies recensuit, qui sanè pauci numerantur, uti legentibus enuntiatam responsionem patebit. Deinde ulterius progressus, eosdem edocuit, quid fieri oporteret, ut festi dies debito cultu celebrarentur. En ipsa Sancti Pontificis verba

*cit. tom. 8. Collectionis Labbei col. 522. Sanè sciendum est, quoniam idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis, & Hymnis, & Cantibus spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis Divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus. Denique concludit, quod si quis die festo nil aliud præstare velit, quam statuto tempore orationi vacare, quod tamen haud ita parùm videri posset, reliquum verò diei consuetis aliorum dierum occupationibus mundanis tribuere; satius fuisset aliquo laborioso opere se exercere, quo posset indigentibus proximis, & consequenter propriæ familiæ inopia forsàn laboranti opem ferre. Quæ omnia si quis negligens orationi tantum vacare voluerit, & ad ceteras mundi vanitates licitos labores converterit, melius illi fuerat ipso die, B. Apostoli Pauli præceptis obediens, laborare manibus suis, ut haberet unde tribueret necessitatem patientibus; quemadmodum ipse, qui licet Dominum ordinasse dicat, uti qui Evangelium annuntiaret, de Evangelio viveret, non tamen usus est hac potestate, sed manibus suis laborabat, ne quem eorum, quibus Evangelium prædicabat, gravaret.*

## CAPUT XIX.

*De postulato proposito quoad onus ministrandi Sacramenta Fidelibus peste infectis, dum ea grassatur, ac de modo administrationis tunc temporis peragenda.*

Inter gravioris momenti postulata illud sanè recensendum est, quod Vicarius Apostolicus Juliæ Cesaræ (nunc



(nunc vulgò *Algeri*) proposuit circa onus Episcopis, aliisque animarum curam exercentibus incumbens, residendi, & gregem sibi concreditum non deserendi, cum ipsum Deus immisso pestis flagello affligi permittit, necnon administrandi Sacramenta peste contactis: satis enim superque frequens hujusmodi cassus occurrit, tum in dicta Civitate Juliae Cæsareæ, tum in aliis regionibus Turcarum imperio subjectis.

II. Illud ab omnibus indubitanter admittitur, quod quicumque curam gerit animarum, ac residendi obligatione tenetur, non potest à designato sibi residentiae loco recedere, ut pestis periculum effugiat; ideoque, saviente licet peste, & residere debet, & residentiae non materialis tantum, sed etiam formalis, ut inquitur, onera adimplere; operando nimirum, & laborando pro spiritualibus & corporalibus concreditae sibi plebis necessitatibus. Gravissima pestis, quae Mediolanum invasit, dum S. Carolus Borromaeus illius civitatis Archiepiscopus sedebat, die 12. Augusti 1576. savire coepit; uti firmatur in notis ad ejusdem Sancti Archiepiscopi Vitam à Guissano descriptam, pag. 275. num. 8. *Mediolanensis editionis anno 1751.* Cum autem Sanctus Praesul animo forte prospiceret, non neminem fore, qui parum aestimans incumbentem sibi animarum curam, facile consilium coepisset, ut alium in suas vices substitueret, seque à residentiae loco subtraheret, dubium hoc ad Congregationem Concilii definiendum detulit; num scilicet residere teneretur, qui curae praerant animarum, quamvis urgeret periculum contrahendi pestem, & ex illa occumbendi. Responsum autem fuit, residendi obligationem vel tum vigere, eaque obstringi non modò Paro-

chos, sed & Episcopos; quemadmodum videre est in rescriptis mensis Octobris, & Decembris ejusdem anni 1576. relatis apud Fagnanum in *cap. Clericos, num. 37. & seq. de Clericis non residentibus*, quibus Pontificia quoque Gregorii XIII. accessit approbatio; unde, post hujusmodi rescripta, sive resolutiones, aditus locusque amplius relinqui non potest eorum Doctorum opinioni, qui affirmarunt & docuerunt, licere ei, qui animarum curam exercet, à residentiae loco abscedere, modò Sacerdotem idoneum adinventiat, qui, accedente Episcopi licentia, vices ejus adimpleat; veluti rectè perpendit Muratorius in suo *Tractatu de Peste lib. 3. cap. 4. pag. 359. primae editionis Mutinensis.* Quia verò tunc aliquis fortassè excipiendo allegaverat, permissum esse ei, qui animarum curam administrandam suscepit, propter inimicitias, & persecutionum timorem, à residentia recedere, per textum in *cap. Ad supplicationem, de renuntiatione*, ideoque posse eum æquo jure aufugere ex loco, quem pestis invasit, cum in utraque facti specie æquale subeat vitae discrimen; animadversum sapienter fuit, quod, cum inimicitiae, & persecutiones sint peculiare quidpiam, Praelati vel Parochi tantummodò personam respiciens, mirum videri non debet, si ob eas causas liceat his à residentiae loco aufugere, cum alii ibidem remaneant, qui sine propriae vitae periculo ea erga populum praestare possunt, quae Parochus Praelatusque praestare tenentur; uti rectè demonstrat S. Thomas 2. 2. *quest. 185. art. 5. At longè secus se se res habet in altero pestilentiae casu, cum scilicet contagiosae luis periculum æquè omnibus imminet, ideoque neminem reperire est, qui absque*

vita discrimine possit ea peragere, quae ab Episcopo, aut à Parocho, ex eorum officii debito, requiruntur; quapropter Episcopo, Parochoque id onus relinquitur, ut proprii muneris officia per se ipsos obeant, suamque vitam pro concreditam sibi animarum bono in discrimen adducant; veluti planè concluditur *ex Can. Adversitas, §. Hoc tunc servandum 7. quest. 1. & ex Can. Tres personas, 23. quest. 4.* quibus ea accedunt, quae latiori calamo deducta videri possunt apud Fagnanum *cit. loc. num. 47. & seq. & in nostro Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 3. cap. 16. à num. 14 ad 17.* ubi egimus de justa, vel injusta fuga, quam animarum Pastores, subortis persecutionibus, arripiant. Celebris est in rem hanc S. Augustini epistola *num. 228.* ad Honoratum Episcopum Thiavensem, quam S. Possidius necessariò legendam censet Sacerdotibus, ut excitatis in se turbis, & persecutionibus, rectè se gerere valeant; quamque paucis verbis conclusam refert Sacerdos Petrus Ballerini in suis eruditissimis notis ad Summam Theologicam S. Antonini *part. 1. tit. 5. c. 1. col. 358. edit. Veronen. anni 1740.* Sanctus Doctor universim statuit, Pastoribus illicitum eo in periculo à suis gregibus recedere, idoneis licet Vicariis relictis; tum verò eum solum easum fugae approbat, ac supplendi per alios, cum periculum proprium solius Pastoris est, uti cum Pastor ipse per se ad necem quaeritur, non autem cum periculum commune est Pastoris, & ovium.

III. Asseruimus, Episcopum, Parochumque, saviente peste, formalis residentiae officii obstrictos esse; neque enim difficile captu est, inutilem planè fore eorum residentiam, si materialiter tantum residerent, neque pro

viribus in concrediti sibi gregis spirituale ac temporale bonum adlaborarent. Itaque, quoties Divino consilio, & hominum peccatis sic exposcentibus, civitas, vel gens aliqua pestis infortunio afflictata fuisse legitur, ejusdem quoque Dei providentiae factum novimus, ut identidem celebre fieret sacrarum Pastorum regimen, Episcopis, aliisque animarum Rectoribus ejusmodi virium accessione roboratis, ut Apostolicum ministerium, vel dum maximè grassabatur pestis, cumulate implevisse dignoscantur, tum populos exemplo & praedicatione ad poenitentiam adhortantes, tum pauperes effusa liberalitate sublevantes, Ecclesiae verò Sacramenta suis ipsi manibus ministrantes pestilenti morbo infectis, parvipenso, quod maximum suberat, propriae vitae discrimine.

IV. Quomodo S. Cyprianus se gesserit erga suum gregem peste afflictum, licet deprehendere ex ejus Libro *de moralitate*; cujus etiam agendi rationem accuratè admodum descripsit Pontius Diaconus in *ejusdem vita cap. 2. num. 17. & seq.* apud Bollandistas, ad diem 14. Septembris, & apud Ruinart, in *Acta Martyrum.* Celebres planè sunt S. Gregorii Magni epistolae, altera ad Dominicum Episcopum Carthaginiensem, altera verò ad Praelectum Narniensem Episcopum, quas videre est *lib. 10. epist. 63. & lib. 2. epist. 2.* quibusque indicatur ratio, qua Episcopi illi gerere se debebant, dum lues grassabatur, afflictos scilicet erigendo populos, eosque hortando, ut precibus, & criminum expiationi insistentes, Omnipotentis Dei iram placare studerent. In Historia Francorum, à S. Gregorio Episcopo Turonensi conscripta, *lib. 9. num. 22.* recensetur illustre factum Theodori Episcopi Massiliensis, qui, cum à suo Episcopatu abesset, propterea quod Chil-



Childebertum Regem allocuturus, ad illius aulam conferre se debuerat, quamvis ipsi nuntiatum fuerit, contagiosa lue Massiliam infectam esse, nihilominus ad suam sedem reverti non dubitavit, ibidem omnia, quæ sui muneris erant, executurus. Sanctorum Acta percurrentibus, complura occurrunt ejusmodi pastoralis zeli exempla. Adeantur Bollandiani *ad diem 20. Martii in vita S. Cuthberti Episcopi Lindisfarnensis cap. 9. n. 51. ad diem 2. Maji in Additionibus ad vitam S. Antonini Florentiæ Archiepiscopi cap. 4. lit. G. ad diem 24. Julii in supplemento ad vitam Beati Joannis Thaussiniani Ferrariensis Episcopi §. 3. n. 28.* Videatur etiam altera ejusdem Beati Vita, quæ postrema Mantuæ typis edita est, *ad cap. 19.* Alia quoque ejusmodi monumenta collegit Thomassinus *in suo Tractatu de Benefic. p. 2. lib. 3. cap. 67. & seq.* In hujusmet argumenti tractatione minimè silentio prætermittimus, quæ præstitit S. Carolus Borromæus, dum præmemorata dira pestis Mediolanum afflixit; justaque laude fraudari quodammodo videretur magnus adhuc in humanis degens Massiliensium Episcopus, nisi hic exscriberentur verba excerpta ex Brevi Clementis IX. Pontificis; quod ad eum dedit sub die 14. Septembris 1720. in Collectione Brevium ejusdem Pontificis *tom. 2. pag. 775.* ut debita commendatione prosequeretur egregios labores ab eo exantlatos, dum Massiliensis civitas ad ultimum penè exitum sæviente peste adducta fuit. Ibi enim, post alia, sic ait Pontifex: *Ex quibus omnibus te animam tuam, boni Pastoris exemplo, pro ovibus fidei tuæ creditis dare paratum esse, adeoque peste afflatos frequenter invisere, paterno affectu consolari, opportunisque monitis ad implorandum à Divina*

*Bonitate peccatorum veniam excitare, illis insuper Ecclesiæ Sacramenta propriis etiam manibus administrare, iis autem, qui non tam morbo, quàm fame premuntur, necessaria ad vitæ sustentationem alimenta conquirere, omnia demùm optimi diligentissimique Præsulis officia cumulâtè obire percepimus.*

V. Est in sua quisque dioecesi Episcopus Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis Minister; nec alius quisquam, licèt Episcopali caractere insignitus, potest, non præobtentâ ab eo licentia, sacram Confirmationem, Ordinesve conferre. Non sanè eventu facilis, sed tantùm mente conceptus proponeretur casus cujuscpiam, qui peste laborans, Ordinibus initiari exposceret; percommodè enim is posset in pestis exitum hujusmodi religiosæ voluntatis implementum conferre. Re ipsa verò frequens esse potest casus eorum, qui sæviente peste, eaque correpti, sacro Chrismate inungi se flagitent. Cùm superiùs memorata pestis majore vi in Mediolanenses grassabatur, hac ipsa in re Sanctus Carolus Borromæus insigniora exhibuit charitatis exempla, quemadmodum legere est in illius vita à Giussano descripta *lib. 4. cap. 8.* *Noverat, plures in populo esse nondùm sacro Chrismate inunctos, quod fidelium animos ad sustinenda præceptorum onera post Baptismum confirmari, Catholica Religio docet. Et, quamquàm probè sciret, ejus Sacramenti vim inter necessaria ad salutem remedia minimè numerari; omnia tamen ex amore potiùs, quam necessitate metienti, durum videbatur, tot hominum millia cælesti hoc auxilio immunita relinquere.* Pergit Giussanus, ingenuèque refert, dum id à Sancto Archiepiscopo intra urbem peragebatur, vix illum adfuisse periculum, ne ipse peste inficeretur, ob eximiam Magistratum vi-

gilantiam, qui neminem peste correptum intra urbis mœnia detineri patiebantur; verùm eundem voluisse his etiam Sacramentum Confirmationis impertiri, qui extra urbem detinebantur, nec eos prætermisisse, qui manifesto morbo laborabant; adeo ut ex ipsis nonnulli recepto Sacramento, statim occubuerint. In adnotationibus autem ad eandem vitam à Giussano elucubratur legitur, Sanctum Antistitem, cùm vidisset, complures ad hospitalis cancellos confluere, sacro Chrismate inungi deprecantes, ad familiarem suum *Monetam* nomine, conversum, eundem consuluisse, quid sibi ea in re præstandum esset; cumque is respondisset, se haud tantum sibi sumere, ut proprio Archiepiscopo consilium daret, verùm se illi semper adhæsurum, nec unquam ab eo recessurum quidquid tandem is aggredi constitisset; tunc Sanctum Archiepiscopum militum custodiæ præcepisse, ne ad cancellos accedentes, Confirmationis Sacramentum receptoros, repellerent; militibus autem jussa facientibus, non solum sacro Chrismate inunxisse quotquot ad Sacramentum suscipiendum è cancellis caput extulerunt; sed cum sciscitatus fuisset, numquid alii superessent, qui cuperent, sese eodem Sacramento roborari, eisdemque renuntiatum fuisset, adesse quidem, & alios, sed non posse eos ad cancellos progredi, propterea quod extremam animam agentes in gravatis jacerent, constanti animo hospitale ingressum, iis quoque Confirmationis Sacramentum administrasse.

VI. Heroicum hoc S. Caroli factum flagrantis ejusdem charitatis illustre est argumentum. At, cùm Confirmatio non sit Sacramentum omnino, & absolutè ad æternam salutem

necessarium, difficile erit tueri, Episcopum obstringit ad illud peste laborantibus administrandum, etiam cum proximo vitæ suæ periculo, eumque ab administratione cessantem, dum ægotantes hoc spirituali præsidio foveri exposcunt, peccare. Sed longè aliter se res habet in eo quod pertinet ad sequentia duo Sacramenta, Baptismum scilicet, & Pœnitentiam. Nequit enim homo primi Adæ filius ad statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei transire per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum, nisi sacro Baptismate ablutus, vel saltem flagrantis ejusdem desiderio fuerit, expiatus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei,* legitur *Joann. cap. 3.* Pœnitentiæ verò Sacramentum lapsis post Baptismum æquè necessarium est, ac Baptisma iis, qui nondùm regenerati fuerunt, ad hoc ut æternam salutem consequi valeant: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondùm regeneratis ipse Baptismus:* sunt verba sacri Tridentini Concilii *sess. 14. cap. 2. in fin.* Cùm itaque gemina hæc Sacramenta ex absoluta necessitate ministrari debeant etiam pestifero morbo correptis, dum is vel maximè grassatur; hoc primum asserimus, Parochorum onus id esse proprium, Episcopos verò ad hujusmodi Sacramenta peste afflatis administranda minimè obstrictos esse, nisi cùm nemo alius adesset, qui id præstare posset. Episcopi namque se habent veluti universales causæ, quæ proximè, & per se non operantur effectus illos, qui à causis particularibus induci debent, nisi cùm rariores aliqui, urgentioresque casus usitatum rerum ordinem immutarunt; Parochi verò tamquam particulares causæ sunt consti-



tuti, ideoque proximi administrari Sacramentorum, quæ populo ministrari oportet; quemadmodum rectè docet S. Thomas quodlib. 1. art. 14. in corpore, & quodlib. 3. art. 17. ad quintum; ac in rem nostram pergit Sylvius in Supplemento, sive Additionibus ad 3. part. S. Thomæ quæst. 32. art. 3. §. Priusquam respondeatur. Quapropter, cum S. Carolus Borromæus, ut supra dictum est; præindicatam quæstionem, sive dubium, ad Congregationem Concilii detulisset, haud quidem dubitans ipse, ne fortè Parochi non tenerentur enuntiata duo Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, grassante peste, eaque laborantibus, etiam cum propriæ vitæ discrimine, administrare; sed ut conquisitas quasque excusationes adimeret iis, qui laxioribus opinionibus innixi, jam jam contendeabant se ab ejusmodi onere subtrahere (uti optimè animadvertit Thomassinus de Beneficiis part. 2. lib. 3. cap. 70.) cœperantque in dubium revocare, an Sacerdotes animarum curæ præpositi pestis tempore adstringerentur, cum vitæ periculo, peste contactis per Parœcias suas Ecclesiæ Sacramenta administrare; interpellata Congregatio rescripsit, ejusque rescriptum ab ipso quoque Gregorio XIII. Pontifice fuit comprobatum, debere omninò Parochos residere, & per se, vel per Sacerdotem à se delegatum, ab Episcopo verò approbatum, Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ parochianis suis peste laborantibus ministrare: Die 10. Septembris 1576. facta Santissimo relatione in Consistorio, Sanctitas sua decrevit, scribendas simpliciter litteras ad Cardinalem Sanctæ Præcedis (nimirum Sanctum Carolum Borromæum) quibus significetur, dubio in Congregatione proposito, & ad Sanctissimum relato, Sanctitatem suam decrevisse, Paro-

chos tempore pestis teneri omninò residere in suis Ecclesiis Parochialibus; posse tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ. Hæc autem ea est resolutio, quam Nos superius innuimus, quamque affert Fagnanus in cap. Clericos, num. 45. de Clericis non residentibus, ubi etiam satis ad rem adnotat, ideo definitum fuisse, teneri eos, quibus cura imminet animarum, Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ ministrare suis Parochianis aut directè per se, aut adhibita opera alicujus Sacerdotis, ut supra diximus, ab Ordinario approbati; quod, cum non omnes passim, sed aliqui tantummodò ex Parochianis, pestilenti morbo inficiantur, nollent profectò ii, qui benè valent, Sacramenta recipere à Parocho, quem scirent eadem administrasse peste infectis.

VII. Equidem tutò affirmari nequit, decretas illas litteras subinde conscriptas fuisse, & ad Sanctum Carolum transmissas; cum nihil planè de iis occurrat in Urbis hujus, aut in Mediolanensis Ecclesiæ Regestis: Num hoc Congregationis, & Pontificis responsum ad Sanctum Carolum missum fuerit, ignoro; nulli enim vitæ ejus Scriptores hanc declarationem eidem traditam memorant, solasque litteras indicant, quæ antequam negotium decideretur, jussu Pontificis scriptæ ad eundem fuerunt per Carniliam, ubi idem Pontifex zelum ejus, quo mortis periculum contemnendum duxerat, maximè commendans, auctoritatibus Sanctorum Patrum, obligationem cujuscumque Christiani, nòdum Episcoporum, & Parochorum, in ejusmodi necessitatibus inculcabant. Hæc scripsit, qui eruditas elucubravit annotationes ad Summam Sancti Antonini loc. cit. col. 359. Nosque

que illius sententiam facilè amplectimur, putamusque, litteras nequaquam transmissas fuisse; harum enim tenor de duobus tantummodò Sacramentis, Baptismi, & Pœnitentiæ, loqui debuisset, neque verò ad duo reliqua Sacramenta, ad Eucharistiam nempe moribundis in Viaticum deferendam, & ad Extremam Unctionem ipsis imperiendam, se extendere, nisi præhabito novo examine, novaque edita definitione. Hanc autem minimè necesse fuit ab Apostolica Sede exposcere, quoniam magnus Carolus Borromæus, heroica incensus charitate, Baptisma, Confirmationem, Pœnitentiam, sacrum Viaticum, Extremamque Unctionem peste contractis per se administrare non dubitavit; quemadmodum legitur apud Scriptores illius vitæ, quos collegit Theophilus Raynaudus tom. 18. suorum operum, in eo quod inscripsit de Martyrio per pestem, p. 3. cap. 2. num. 13. & seq. suoque præcedens exemplo, Parochos, reliquosque Mediolanensis urbis Sacerdotes, ad idem peragendum, contempto vitæ periculo, adduxit. Præterea in quinto suo Provinciali Concilio, quod post aliquot annos ab extincta pestilentia habuit, opportunas descripsit regulas in Sacramentorum administratione servandas, quotiescumque, hominum criminibus sic exigentibus, Deus populum immisso pestis flagello castigat.

VIII. Percurratur memorata Mediolanensis quinta Synodus Provincialis, quæ, pluribus licèt objectionibus acriter oppugnata, tamen ab Apostolica Sede meruit comprobari, & ex titulo inscripto Cautio in Sacerdote ministrante, alteroque Cautio in Sacerdote, qui ministravit, ac altero iidem de Baptismo infanti peste laboranti, suspecto ministrando, poterit quisque facilè deprehendere, S. Carolum haud redactum voluisse

onus Parochorum, reliquorumque curam animarum habentium, ad Baptismi, & Pœnitentiæ ministrationem, sed etiam ad reliqua duo Sacramenta ministranda protendisse. Verùm id fortassè satis non esset ad evincendum, quòd ea, quæ in quinta Mediolanensi Provinciali Synodo de duobus Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Sacramentis statuta fuerunt, vim legis, auctoritatemque ubique terrarum obtinere debeant; Provincialis quippè Synodi auctoritas illius provinciæ, in qua celebrata est, finibus circumscribitur; neque verò; quæ ipsi quandoquæ accedit, Apostolica confirmatio ejusdem auctoritatis finis ampliare censetur; quemadmodum hoc ipso lib. 13. cap. 3. num. 5. ostensum est Investigandum est ergo, an, seposita quinta Provinciali Synodo Mediolanensi, possit aliunde probari, debere Parochos, etiam cum propriæ vitæ discrimine, suis parochianis peste infectis sacrum Viaticum, Extremamque Unctionem ministrare. Quæstionem hanc instituit Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 3. disp. 44. sect. 3. ubi sup. num. 17. in hæc concludit: Dico tertio, absolutè teneri Parochum Viaticum ministrare infirmis tempore pestis cum ordinario periculo contagii, quod in tali occasione esse solet; etiamsi in particularibus casibus excusari possit, si periculum multum augeatur, & proximi necessitas nimium diminuatur. Hæc conclusio est magis pia, & judicio meo valdè necessaria ad bonum regimen animarum, ne facilè tanto bono in illa necessitate priventur. Eamque confirmat usus Ecclesiæ; nam omnes Parochi timorati hoc observant, etiamsi intelligant, ægros esse dispositos per Sacramentum Confessionis. Episcopi etiam illos compellunt ad Eu-



*Eucharistiam ministrandam; quod non esset justum, si ipsi ex vi officii non tenerentur. Populo item magnum esset scandalum, si Parochus subditos suos sine Viatico mori sineret. Signum ergo est ejusdem obligationis. Igitur, juxta Suarezii doctrinam, hæc veluti generalis regula est, Parochum, quamvis imbibendæ pestis periculum adsit, obstringi sacratissimum Viaticum ad ægros deferre. Exceptio autem ab eodem proposita, juxta quam Parochus ab onere hujus Sacramenti ministrandi excusatur, ad eam facti speciem in praxi refertur, qua Parochus debet Pœnitentiæ Sacramentum compluribus eo indigentibus, & in proximo vitæ periculo constitutis ministrare; cumque interim aliquis jam confessus, sacro Viatico refici exoptet, verendum esset, ne tempus deficeret excipiendi Confessiones aliorum Pœnitentiæ expiatione indigentium, & in exitu vitæ versantium, vel etiam ad eum casum, quo Parochus solus reperitur, nec alius adsit Sacerdos, cujus opera juvetur, immo nec alius quisquam Presbyter, qui, Parochio decedente, ad ejus vices supplendas subrogari valeat, ideoque Parochus ipse meritò pertimescat, ne, si ambo Sacramenta, tam Pœnitentiæ, quam sacri Viatici, omnibus ministraret, mortem vitare non posset, populumque, ut ajunt, sine hostia, & Sacerdote relinqueret. Ita disserit Suarez in propositæ exceptionis declarationem num. 19. Exceptio autem in conclusione posita, per se clara est, potestque facillè ex dictis circa præcedentem intelligi, & ad particularia applicari. Nam, quia Viaticum minus necessarium est, quam Confessio, facilius potest in particulari occurrere excusatio; præcipua tamen erit, si ad audiendas aliorum Confessiones necessarium sit alios sine Viatico dimittere; vel si Parochus sit solus, &*

*nimum periclitetur ejus vita, si utrumque Sacramentum omnibus velit ministrare, & maxime si in illius defectum non possit facillè alius Sacerdos substitui. Et similes circumstantiæ in particulari expendendæ sunt; obligatio autem generalis negari nullo modo debet. Disserensque subinde idem Suarez de Sacramento Extremæ Uctionis, n. 20. ait, Parochos, reliquosque animarum Pastores obstringit ad hoc etiam Sacramentum ministrandum, dum pestis grassatur, quatenus tamen id præstare valeant absque morali vitæ periculo; neque enim hujusmodi Sacramentum omninò necessarium est ad æternam salutem, cum prævia ut plurimum habeat gemina alia Sacramenta, Pœnitentiæ scilicet, sacrique Viatici, quibus fidelium salutem, quantum necesse est, cumulatè consulitur. Addit verò idem Auctor, omni ratione adlaborandum esse Parochis, ut sibi expeditior suppetat facultas Extremæ Uctionis peste infectis ministrandæ; ideoque debere ipsum iis omnibus sese remediis & cautelis instruere, quæ, peritorum judicio, ad arcendum morale periculum imbibendæ pestis idonea existimantur; quibus quidem adhibitis, si aliqua adhuc de periculi dubitatione teneatur, non ideo ipsum levare onere Extremæ Uctionis peste laborantibus ministrandæ, cum hæc potius dicenda sit nimium meticulosi animi affectio.*

*IX. Sylvius in Supplemento, seu in Additionibus ad 3. part. S. Thom. quæst. 32. art. 3. conclus. 3. pag. 86. edit. Antuerpiens. profitetur, se nolle damnare sententiam Auctorum affirmantium, licere Parochis abstinere ab administrandis duobus Sacramentis, Eucharistiæ, & Extremæ Uctionis, peste laborantibus, qui paulò ante peccata sua Sacerdoti sacramentaliter confessi sunt, modò absit periculum scandalii.*

*Et*

*Etsi nolimus damnare Parochos illos, qui Doctorum istorum sententiam secuti, hæc duo Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Uctionis non ministrant peste infectis recentè confessis, modò absit scandalum; at statim intrepidè subdit: Secutior tamen, & verisimilior est aliorum sententia, Parochum sub mortali peccato teneri administrare Sacramentum Eucharistiæ suis Parochianis, peste, vel alio morbo contagioso infectis, etiam cum propriæ suæ vitæ periculo, nisi per aliquem aliud id fiat, & nisi quædam circumstantiæ occurrant, propter quas meritò possit excusari; repetitque omnia, quæ superius recensuimus, Suarezii sententiam referentes; ejusque sententiæ in omnibus subscribit quoad propositas generalis definitionis exceptiones. Progreditur inde conc. 4. ad Extremæ Uctionis Sacramentum, ibique etiam Suarezii doctrinæ sese conformat; subdens tamen, tum demum Parochum teneri, etiam cum evidenti vitæ periculo, Extremam Uctionem parochiano suo peste laboranti ministrare, cum hic alia duo Sacramenta Pœnitentiæ, & Sacri Viatici non susceperit.*

*X. Quæ hactenus attulimus, cum allegatorum gravium Doctorum auctoritate, quodque magis est, sanioris theologiæ principii, quæ apud eosdem perlegi possunt, innitantur, satis solidum fundamentum suppeditarunt, ut postulato per Vicarium Apostolicum Juliæ Casareæ propositò rescriberetur, Sacerdotes animarum curæ præpositos obligatione teneri ministrandi per se, vel per alios idoneos Sacerdotes, Christifidelibus peste correptis, non obstante contrahendæ pestis periculo, non solum duo illa Baptismi, & Penitentia Sacramenta, juxta veteres superius recensitas de-*

*Tom. II.*

*initiones, sed & duo reliqua, Sacri Viatici, & Extremæ Uctionis; nec omisum est ipsam quoque afferre quintæ Synodi Provincialis Mediolanensis auctoritatem, non quidem per modum legis vim coactivam obtinentis, sed veluti regulam vi directivam pollentem, ut ajunt Jurisperiti.*

*XI. Quod Vicarius Apostolicus Juliæ Casareæ exhibuit postulatum, in causa quidem fuit, ut de duobus Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ Uctionis, præter Baptismi, & Pœnitentiæ, ministrandis rescriberetur; sed eo potissimum animo ipse fuit, ut edoceret, quonam se modo gerere deberet quoad certas quasdam cautelas, quibus utebantur Sacerdotes in Sacramentis ministrandis, ne peste inficerentur. Quæ à Vicario Apostolico delatæ fuerunt cautelæ, haud erant ex physicis remediis, petita; certum quippè est, Sacramenta ministrantem peste infectis, non modò posse, sed & plerumquæ debere iis uti, quo valeat sospes diutius munus suum persequi, neque cogatur concreditum sibi populum, tunc maxime ipsius opera indigentem, deserere. Alterius generis sunt delatæ cautiones, deque iis nunc disserendum est.*

*XII. Diximus supra, nequaquam obstringi Episcopum, saltem ex justitia, Confirmationis Sacramentum peste afflatis ministrare; id tamen præstitisse S. Carolum Borromæum, dum dira lues Mediolanum populabatur, eoque admirandum præbuisse diocesanis suis, universoque Orbi hæcicæ virtutis exemplum. Joannes Chapeville, Archidiaconus, Canonicus, & Vicarius Leodiensis, integrum edidit Tractatum de necessitate, & modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, qui Moguntia typis impressus prædiit in lucem anno 1612. in eoque nihil*

*Y*

*pla-*